

DE INDEBITA & UNIVERSALI
CONVERSIONIS GRATIA,

Ejusque Modis.

Prooemium.

De Convertentis Gratiae Necessitate

τὸ τε εἶναι, τὸ τε γίνεσθαι.

Ejus Σύνοψις:



Conversio 1. tam quoad esse, quam quoad cognosci, necessaria. 2, 3. Ordo & modus, quo fieri soleat conversio, necessum non est, ut praecognoscatur ab homine convertendo. 4. Nec efficaciam mediatorum conversionis. 5, 6. quod probatur exemplis, non solum nescientium; sed & negantium efficaciam mediatorum salutis, & tamen per eadem media converforum. 7. pro veris causis conversionis alias substituere impedit conversionem. 8. Verus conversionis modus, non potest ignorari vel negari a jam converso.

THESIS I.

Disputationi de Conversione, necessitas ejus, tam essendi, quam cognoscendi merito praeponeuda est; Illam inculcat Christus Luc. 13, 5; Nisi conversi fueritis, similiter peribitis. Unde cognoscendi necessitas fluit; Quod enim omnes facere necessum est, neminem oportet ignorare; dari scilicet aliquam conversionem, seu velle Deum, ut peccatores convertantur. Luc. 24, 47. Act. 17, 30. Atque haec notitia fundamento salvifica fidei immediatè substat, ideò dicitur ὁ τῆς ἀρχῆς τῆς ζωῆς λόγος ἐξ ἐμεῶν, à quo oportet initium desumi reliqua doctrina, & describitur, quod sit conversio ab operibus mortuis, & fides in Deum. Hebr. 6, 1, & 2. Chrylost. hic; Sicut eum, qui ad doctrinam literarum educatur, elementa oportet primum audire; sic & Christianum haec scire exactè, & nihil dubitare de ipsis.

Conversio fide & factio necessaria.

II. Modum autem operationis gratiae divinae, in homine convertendo adhiberi solitum, vel ordinem & virtutem operationis

Ordo pro- ductionis

A s

divi-

0.2.9.6.